



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. An Canonicus, qui submissa voce in choro recitat suos versiculos,
aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

possuntque pro peccatis, & negligentis jam præteritis, non item pro futuris. Unde ab Alexand. VII. proscrip̃ta fuit hæc sequens propositio n. 33. Restitutio fructuum

ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas; quas antea Beneficiatus ex fructibus sui Beneficii fecerit.

CASUS LI.

De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter absente.

MAurinus Canonicus frequenter abest à choro, non solum, cum malè habet, sed etiam, cum benè valet; Cum verò præfens adest, aliis in Choro Psallentibus ipse profana legit, aut confabulatur cum proximo suo socio, vel si orat, versiculos suos submissa voce recitat, aliis Suam partem canentibus.

QUÆR. I. An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?

QUÆR. II. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro Psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum suo socio?

QUÆR. III. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro?

QUÆR. IV. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solum proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?

295

AD I. Q. R. cum Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 12. Less. l. 2. c. 3. dub. 23. Petr. Navarr. Bonac. Filliuc. Roderique, & aliis, non posse talem Canonicum, saltem ex integro, percipere distributiones. Ratio est. Primò, quia talis Canonici-

nonicus non assistit choro, prout debet, illum nempe suâ operâ juvando, siquidem Canonici munus est canere, & alta voce Horas Canonicas recitare, ut constat tum ex *cap. ult. dist. 92.* tum ex Decreto S. Congregationis Rit. 20. *Apr. 1602.* & 23. *Nov.* ejusdem anni, juxta quod tenentur Canonici in choro psallere, & alta voce canere, & quidem per se ipsos, nisi legitima consuetudo aliud obtinuerit, quia est obligatio personalis, & Trident. *Sess. 22. c. 4. & Sess. 24. c. 12.* Mandat, ut Canonici per se ipsos onera, & officia annexa præstent. 2. Quia talis Canonicus ita recitando agit contra justitiam commutativam quoad obligationem chori; imò propriè, & absolute loquendo non dicitur talis recitare in choro, & esse pars chori, prout à Trident. l. c. & Pio V. requiritur ad hoc, ut possit participare, ac percipere distributiones,

296 Dixi ex *Integro*; nam posse eum probabiliter percipere mediam partem, docent Suarez, Filliuc, Bonac. Laym. & alii contra Azorium, Navar. & alios. Ratio est, quia talis Canonicus non deest in totum suo muneri; cum assistat adhuc Choro submissè recitando, & suâ præsentia illum ornando, aliosque audiendo, quæ proin assistentia, etiam qualis hîc ponitur, non parum facit ad Chori decorem, & ornamentum: Nec distributiones solùm conferuntur pro cantu, verùm etiam

pro præsentia, & assistentia in Choro; ut adeò æquum videatur, ut hoc modo assistens Choro percipiat saltem distributiones assistentiæ respondententes. Spectanda tamen hîc erit legitima loci consuetudo, si qua viget, ut alibi dictum est in *Instruct. pract. ordin. de Hor Can.*

Ad 2. Q. R. Canonikum, qui, aliis in Choro psallentibus, confabulatur cum suo socio, aut legit profana, non solùm peccare contra reverentiam loco sacro debitam per illam suam confabulationem, fortassis etiam scandalosam, sed etiam sub gravi culpa obligari ad recitandum privatim suum Breviarium, si ea confabulatio, aut lectio profana per notabilem partem duraverit. Ratio petitur ex ipsa obligatione, quam habent Canonici, & Beneficiati recitandi quotidie totum Breviarium, & Fundatorum intentioni satisfaciendi. Imò non potest talis Canonicus bonâ conscientia accipere distributiones, si per magnam Officii Divini partem protrahat eam confabulationem, aut lectionem, prout docent ex communiore Navarr. *c. 13. n. 15.* Bonac. *D. 2. q. 4. p. 1.* Barbof, Palao, Molfel. Ledesm. aliique contra Garc. Medin. & alios, putantes notabiliter confabulantem peccare quidem mortaliter, ad restitutionem tamen distributionum non teneri, eò quòd ad distributiones lucrandas sufficere arbitrentur solam præsentiam in Choro. Ratio

Ss 2

autem